



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Innocens probatus nocens an possit condemnari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

qui tamen, secundum allegata, & probata, mortis reus apparet: Ipse Iudex, v. g. vel Princeps occulte Petrum interfecit; sed Paulus propter aliqua iudicia vehementia infamatus; convictus tandem secundum legitimas probationes, de ea occasione fuit: potest noluisse ipse Iudex, vel Princeps Petrum capite damnare.

Respondeo. Certum mihi est, ex DD. max. citandis, Principem non posse, sed tunc eum liberare. Ratio est quia Princeps potest sibi dispensare in ea lege, qua iubetur, debere procedi in iudiciis secundum allegata, & probata. Quod si subesset periculum scandalum, quod rei non puniatur; tunc Princeps palam, etiam cum iuramento (si hoc necessarium iudicabitur ad faciendam fidem) debet pronuntiare, sibi notam esse illius hominis innocentiam. Sed quandònam tantum scandalum contra summum supremi Imperium?

12. Punctus ergo difficultatis de inferiore Iudice est qui hac dispensandi sibi potestate non gaudet. Nonnulli censent cum pari modo non posse. Ita Less. lib. 2. cap. 29. n. 84. inclinatur de Lugo, 2. 2. in 1. d. 37. sect. 4. Rosella, Angelus, Petrus Navarr. Secus apud Dicastill. lib. 2. de iust. r. 1. d. 4. dub. 5. q. 1. quia innocentem certò cognitum: directe occidere, intrinsece malum est. Nonnulli docent posse. Ita Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. Th. Sanchez lib. 2. conf. cap. 1. d. 17. alique ab ipso, & à dicto de Lugo citati; quibus addit Cajet. Bann. Arag. Salon. Covarr. Azor. Val. aliòsque citatos, & exceptos à Dicastill. l. c. n. 79. quia iura præcipiunt, ut Iudex puniat eum, qui secundum allegata, & probata, mortis esse reus invenitur, obligabitur igitur hic omnem movere lapidem, quo impediatur huius innocentis interfecio, præveniendò, ne Testes contra illum deponant, vel diligentius eos examinando, aperiendo clam, si potest, ipsi carcerem, ut fugiat, monendo Principem de illius innocentia, imò & deponendo Iudicis officium, si ex depositione grave damnum non accipiat, &c. Verum, si hæc non proficiant, infestusque Princeps, ut condempnet: poterit (hi dicunt) condemnare.

13. Ex his sententiis prior menti meæ aded certa se offert, ut hæc posterior non sit mihi intrinsece probabilis: quia tamen eam doctissimi, & præsertim S. Thomas, amplectuntur; probabilis saltem propter auctoritatem extrinsecam censetur. Ratio nostra est, quia sacratissima iura cum præcipiunt, ut Iudex puniat secundum allegata, & probata semper intelligitur de Iudice regulariter, id est, de Iudice, cui regulariter constare non solet de delicto rei, nisi per allatas probationes: de Iudice autem innocentiam rei certò cognoscente, qui casus rarissimus est, & penè dixerim metaphysicus; nunquam agunt, Sanè etiam leges univèrsaliter damnant eum, qui alienum rapuit; sed non propterea eum damnant, qui per iustam compensationem alienum accepit: licet enim hoc non explicit, semper tamen ex iure naturæ esse id exceptum intelligitur: & sexcenta quidem similia in iure reperies.

14. Dices: At ita publicum bonum exposcit, ne scilicet Iuris ordo pervertatur: neve Iudicibus detur occasio, ut etiam nocentes liberent, prætextu, quòd eos innocentes esse cognoscant.

Facilis respondeo: Iuris ordinem non pervertit, qui contra iura non agit: iam vidisti, nullum ius esse contra certò cognitum innocentem. Præterea maius malum est semel innocentem interfici, quam aliquoties nocentem liberari; illud enim malum irreparabile est, hoc à Principe, & à Rep. facile reparari valet: ne multum serpat; nimirum vigilando, ne Iudices, nisi vero iustitiæ zelo præditi, eligantur. Denique magis favet publico bono populos scire, leges nemini unquam aliquem offendendi causas esse, sed innocentem undecunque reperiunt, semper incolumem servare; quam scire, eas concedere, imò præcipere, ut vel semel occidatur directe homo ab eo, qui cum innocentem, ac sanctum novit. Directè, inquam: nam non video, quo modo aliqui contendant, id non esse occidere directe, sed indirectè: quia nimirum (aiunt) Iudicis intentio est servare iuris ordinem, non hominem occidere: sicuti potest per accidens occidi innocens ad vi-

toriam consequendam, vel ad se salvandum, eo modo quod, etiam nos docuimus sup. c. 3. §. 1. n. 12. Id, inquam, video, cum ex nullius rei, nec iuris ordo adit contra clarè cognitum innocentem, ut modò dixi: id non potest intendi, quod enim non est, intendi non potest: quare clarè convincitur tunc directè re vera hominem occidi.

Quòd secus est in victoria, &c. ut ex ibid. dictis patet. 15. Cum agitur de rebus civilibus, vel de pœna maioris scientiæ publicæ damnare, quem scit scientiæ privata innocentem, quando illum videret, nec (adhibitis mediis num. 12. dictis) via affulget non condemnare. Ita Less. l. c. 84. Coninch. l. 2. de sacr. d. 13. de censuris n. 106. & 110. & d. 34. de matr. n. 98. Dicastill. l. c. n. 109. quia casus civiles, ut potè frequentiores, turbarent fides iuri Tribunalia. Adde, privatos videri in his cedere loci iuri propter dictum maius Reip. bonum; quæ certe ratio, cum agitur de vita, vel mutilatione, nunquam præmitur. Quando ergo cap. Pastoralis de officio Iudicis legat, pronuntiat personam publicam non teneat scientiæ privata, de his civilibus, & levibus agit, ut patet ex casu Textus; non de vita.

16. Quid de Ministris? Satelles, v. g. potestne licet exequi sententiam contra Petrum, si certò sciat eum esse nullius culpæ reum: nam si dubitet, debere sui Superioris sententiam exequi, diximus l. 1. in Dec. cap. 3. §. 7. n. 7. Exequatur sententiam.

Respondeo in nostra sententia non posse in gravibus, posse in levibus pœnis, propter eadem rationes iam dictas. Alij ex de Lugo, 2. 2. de iust. d. 37. sect. 5. n. 48. Dicastill. l. c. n. 99. distinguunt (& quidem probabiliter probabilitate extrinseca, cui conformare se sine peccato potest Minister), si innocentia sit soli satelliti nota, potest illam satelles exequi: quia tunc supponitur sententia valida, & iuste, bonæque fide à Iudice prolata, cui obedire potest Minister subditus. At si notorium sit, sententiam esse iniustam, vel intolerabilem errorem continere, ut alij addunt, ex iniquitate Iudicis clarè probat: non potest, quia tunc esset contra bonum publicum, & contra iustitiam; siquidem sententia illa live in levibus, live in gravibus, non esset solum iniusta, sed invalida.

17. Peter curielus: Si Iudex Ecclesiasticus ex Confessione Sacramentali sciret, v. g. Petri innocentiam, probationes autem legitimæ essent contra ipsum poterint, & tenebitur illum condemnare?

Respondeo posse, & debere (supponimus autem potestatem in tali Iudice, & si agatur de levioribus, live de gravioribus delictis, vel causis, Ita idem de Lugo ibid. n. 47. Ratio est, quia Confessarius in Confessione tenetur credere penitenti, at extra ipsam potest, & debet scire habere potius pluribus Testibus, & probationibus, quam vni ipsi penitenti.

Malefactor omnino occultus an possit condemnari?

18. Tertia denique quæstio est. An vice versa, si Princeps novit privata scientiâ reum esse dignum morte, sed publicè probatur is esse innocens, an inquam, possit eum Princeps morte damnare; Princeps inquam: nam Iudicem inferiorem nullo modo posse certum ex dictis est.

Respondeo regulariter non posse. Ita Dicastill. l. 2. de iust. r. 1. d. 4. dub. 5. n. 2. cum Arag. Petr. Navarr. & alijs. Si enim nemo, ut dicitur suo loco potest proximum diffamare de peccato occulto; quidò magis non poterit eundem occidere? Et ratio vltior est: quia princeps iurisdictionem habet fori externi, ad quod non pertinent ea occulta, quæ probatione externa carent. Adde, esse de iure naturæ, ut reus audiat in sui defensionem: ut probat Clau. Reg. lib. 12. c. 8. n. 20. ex Clementina Pastoralis, de sententia, & re iudicata, & c. qualiter 2. de accus. id quod non potest fieri, nisi per probationes externas, quas ipse velit adducere.